

§. 21. Quicquid sit, etiamsi extra Mathesin separatam aliquid scientiæ de quantitate cadat; certum tamen est, illud fundamentaliter ipsi Mathesi deberi, quippe ex principiis ejus deductum. Ut adeò quævis disciplina Mathesin vel ut matrem vel ut sororem agnoscat. Vnde quantum Mathesis usum habeat in disciplinis omnibus, quis est, qui non advertat?

CAP. VI.

De Rebus & Modo tractandi.

§. 1.

Quod Res tractandas secundum quantitatem in disciplinis Mathematicis attinet, cum quantitas præsupponat subjectum, de quo dicitur, meritò Mathesis primò statim istius subjecti naturam, causas & principia, præconsiderat, ut ita quomodo res æstimari, quæ mensura adhiberi, quâ ratione applicatio fieri possit (non enim cuiusvis pedi quivis cothurnus aptari potest) præcognoscat: Licet autem idem quoque subjectum alibi jamtum pertractatum sit, quia tamen ad ejus æstimationem, i. e. Mathematicam considerationem, non sufficit denominativè saltem & signatè cognitum habere subjectum, sed magis exercitè spectari naturam oportet, ut determinata ejus ratio sive quantitas eruat: igitur ipsa subjecta reassumit Mathesis, eaque magis exercitè scrutatur, atque sic ad æstimationem sustinendam præparat.

§. 2. Ad quam præparationem imprimis hoc spectat, quod Mathesis subjecta quæcunque consideret, non tantum prout in statu suo positivo se sistunt, ubi plus quàm nihil valent; sed & prout in statu suo negativo latent, & ratio.